

1. K
2. K
3. K
4. K
5. K
6. K
7. K
8. K
9. K
10. K
11. K
12. K
13. K
14. K
15. K
16. K
17. K
18. K
19. K

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
CONVULSIONIBUS
JUVENEM DECUSSATIM
DISTORQUENTIBUS

QUAM
SUB AUSPICIO DIVINO
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
CONSENSU

PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET
PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE OBTINENDI

DIE XVII. AUGUSTI MDCCLXX.
SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBJICIET

ISAACUS KOCH
ISENBURGENSIS.

H. L. C. G.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and mostly illegible due to fading and bleed-through. Some faint words like "BRITANNIA" and "LONDINI" are visible.



ILLUSTRISSIMO AC SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
WOLFGANGO ERNESTO
PRINCIPI REGENTI
ISENBURGI, BUDINGÆ

RELIQUA

RĒGII POLONICI ORDINIS, QUI AB AQUILA ALBA

NOMEN HABET

E Q U I T I

MOON ZUCANZI &c. &c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO SUO

CLEMENTISSIMO

PAGELLAS HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SIMUL AUTEM

ARDENTISSIMA PRO INCOLUMITATE

SERENISSIMI SUI PRINCIPIS

VOTA

PIA, HUMILI, VENERABUNDA MENTE

O F F E R T

DOMINI SUI CLEMENTISSIMI

DEVOTISSIMUS CLIENS

A U C T O R

ISAACUS KOCH



PRÆFATIO.



Neminem quidem Medicorum fore credo, cui sit ignotum, permulta eaque ex parte egregie dicta esse ab Auctoribus non paucis, quæ spasmorum & convulsionum historiam, indolem atque naturam spectant. Ex his vero præ reliquis laudibus digni BOERHAAVIUS & FRIDERICUS HOFFMANNUS, principes hujus Se-culi medici, ille quidem in *Libro de Nervorum Mor-bis*, hic vero in *Medicina rationali systematica*, editis-

A

que de eo Capite Dissertationibus nonnullis. Reliquos quidem taceo, cum ab instituto meo longissime remotum alienumque sit, omnes enumerare Scriptores, qui mirabiles spasmodorum & convulsionum historias litteris consignaverunt. Præsertim cum frequenter occurrant in medica Praxi morbi convulsivi, quo diro valetudinis genere mirifice distorquentur miseri mortales, ita ut nulla fere sit gesticulatio, neque inflexio corporis, quam non producat hic morbus interdum. Neque est certe, quod mireris Veterum de hujus morbi natura sententiam, cujus causam dæmones esse crediderunt, quum illa ætate facile præstigia fidem invenerint, nec sana his Auctoribus innotuerit humanæ cœconomiae notitia. Tam subito enim alii motus alios excipiunt, ut miraculosi quid in hoc morbi genere suspicari non ista incongruum videatur. Quamvis autem non ita rarus sit iste affectus, quin multa ejus exempla in Medicorum libris prostent satis mirabilia, vix tamen audiverim, aliquid memoriæ traditum de Convulsionibus, quæ decussatim afficerent ægrotum. Itaque non injucundam præstiturum me operam credidi, dum hujus generis notatu dignam Convulsionum historiam hoc Specimine proponerem, eamque ex Scientiæ principiis illustrare susciperem. Equidem ipse sentio optime, quam longe absit, ut ex omni numero morbi mei epicrisin absolverim, etenim malui phænomeno ejus præcipuo rationem quærendam aliis relinquere, quam in tenebris vagari, atque cur hoc modo potius quam

alio, spasmis atque convulsionibus correptus fuerit
 ægrotus noster, longa verborum serie disquirere.
 Dubia sunt enim, quæ de nervorum decussatione
 & illorum functione in Libris anatomicis & physio-
 logicis occurrunt, quæ summo studio collegit Ill.
 HALLERUS, sagacissimi Vir ingenii, vel solus ea de
 re legendus. Eadem nos difficultas premit in Apo-
 plexiæ & Paralyseos explicatione, quæ quandoque
 decussatim corripere solent membra. Etenim si al-
 terius morbi rationes dignoscere nobis datum esset,
 & alterius quoque rationem haberemus apertam;
 hac autem citra ægrotarum periculum secure igno-
 ramus, cum nihil faciant ad morbi curationem,
 quæ generalioribus absolvitur remediis. Potissima
 quippe hic fiducia Naturæ viribus ponenda est,
 quas Medicatrices vocaverunt Veteres, Recentiores
 sub Virium Vitalium nomine indicant, hæ scilicet
 efficiunt, ut noxium, quod in corpore hæret, il-
 ludque stimulat atque convellit, eliminetur per
 vias potissimum naturales. Sic Dei sapientia homi-
 num saluti prospicere voluit, ut sine omni detri-
 mento ignorare possimus primas rerum causas,
 quas a nostro conspectu alte removit Creator. En
 autem ipsam miri morbi, quam Tibi promisi, hi-
 storiam, quem, quatenus dant vires, deinde diju-
 dicare animus est.



 HISTORIA MORBI.

Juvenis cachectici corporis habitus, sedecim annos natus, ex aliquo tempore jamjam stupefcens, & hebes admodum, ad Literarum studium minus idoneus erat ac olim. Accersitus Vir Experientissimus, cui hanc morbi mirabilis Historiam debeo; ventrem invenit tumidum, durum, atque ex naribus etiam manifesta vermium signa collegit. Quare pulvere laxante ex Rhabarbaro & Sale medio curationis initium facere decrevit, ut nempe vermes unacum fordibus in primis viis collectis ejicerentur.

Excrevit etiam juvenis per alvum vermes rotundos. Hoc accidit die XI. Jan. 1769. dedit deinde Medicus Elixirium ex Balsamicis Extractis paratum, ut nempe infarctum mesenterii curaret, & Resolventibus eliminaret viscidum tenax, eique immerfam acrimoniam. Glandulae enim colli quoque induratae erant, & laboraverat nuper juvenis etiam tinea capitis, ut non dubitandum esset de glandularum morbo, ex humorum impuritate nato. Sed die XVII. ejusdem mensis corripiebatur motibus febrilibus, vix typicis, nec ordinem servantibus; sed sensim sensimque aucto calore, cum decremento virium, febrim malignam æmulantibus. Subitanea virium prostratio & cruditas manifesta, cum nulla critica excretio appareret, indicare videbatur usum Corticis Peruviani, quem exhibuit Medicus forma
Decocti

Decocti aquosi cum Syrupo rubi idæi pro grato sapore mixti. Circa diem XXVI. Jan. visa sunt sparsim exanthemata miliaria parva; sed morbus neque inde auctus fuit, neque salubritas aliqua observata. Jacuit hoc tempore in dorso plerumque juvenis, lassus & hebes; interrogatus, quid sibi molestum esset, morosus vix responsionem dedit, & truncus iners dies noctesque jacuit. Potus erat Decoctum panis cum Succo citri, sumsit & fructus horæos ex aqua coctos, itemque Ptisanam & Cremorem ex hordeo facta. Die XXVIII. narrabant Medico adstantes, puerum hac nocte pavoribus atque rigoribus totius corporis aliquoties fuisse correptum, quibus symptomatibus etiam excruciatu fuit interdum diebus sequentibus. Die II. Febr. laborabat vera Epilepsia saltatoria; Inter alias enim corporis gestulationes saltatorum instar pedibus calcabat, & tanta quidem celeritate alius motus excipiebat alium, ut morbus omnino miraculosus esset, & adstantes perterriti ore hiante stupefcerent miraculum. Nonne magna hic suspicio vermium in tubo cibario hospitantium, a quibus sæpissime Convulsiones oriri nemo ignorat? De his itaque expellendis & eliminanda colluvie impuritatum primarum viarum cogitandum erat. Quum debilitas juvenis drasticorum remediorum usum interdiceret, accepit potionem ex Manna & Tartaro tartarifato, & eodem tempore injectum Clyfma, in quo Assæ foetidæ integra drachma dissoluta. Confestim cessabat Convulsio, & alvus soluta; sed borborygmi, flatus, ructus & insignis ægroti voracitas satis superque testabantur,

B

adesse in primis viis colluuiem impuritatum. Ergo die sequente iterum accepit ægrotus Potionem laxantem; sed post meridiem nova Convulsionum accessio, sopita illico Pulvere ex Moscho cum Saccharo exhibito. Die IV. Febr. summa debilitate ægrotus jacuit prostratus, post repetitas iterum Convulsiones & has excipientem lipothymiam, ut erectus in lecto non posset sedere, quin illico in lipothymiam incideret. Ab hoc fere tempore per omnem morbi decursum sentire non poterat frigidus aëris afflatum. Sedulo igitur muccinio cavebat, ne frigidus aër nares intraret, a quo affirmabat, se statim debilitate ac temulentia quadam affici. Propter insignem itaque debilitatem ægrotus exhibebatur Potio quædam analeptica. Die V. hujus mensis spasmo maxillæ inferioris laborabat, quod quidem pessimum symptoma luculenter satis testari videtur, in primis viis præcipue fomitem hæsisse, dirissimi hujus morbi. Die VI. iterum accepit Potionem laxantem ex Pulpa Tamarindorum & Cremore Tartari; VII. vero, cum iterum Convulsio modica aliud medicamentum posceret, data fuit Camphora. Die VIII. Medicus tentare cepit Solutionem ex Tartaro tartarifato & Extracto Rhabarbari. Eodem die alvus bis aperta. Die IX. nova erat rerum omnium facies; eo enim die instar dæmoniâci hominis convellebatur mirum in modum. Summus enim totius corporis rigor, tetanus verus, opisthotonus, emprosthotonus, cataleptica membrorum congelatio, cum sensationum abolitione, ut mortui hominis imaginem sifteret miser homo, alia-

que symptomata horrenda sese excipientia, spasmi nempe vagi, vera lipothymia, stertor, singultus & sexcenta alia malorum excruciant ægrotum. Quum deinde juvenis ad se iterum rediret atque resipisceret, expergefactus cum rhoncho insigni & pavore notabili; tremor tunc vehemens, singula membra per aliquot tempus occupans, prodromus erat tragœdiæ novæ. Nunc enim symptomata modo dicta excipiebat nova membrorum & artuum imprimis Convulsio, & hoc die primum apparebat Convulsio illa, qua decussatim pes dexter & brachium sinistri lateris simul, paulo post vero dextri lateris brachium atque pes sinister, tribus repetitis vicibus post insultum, modo emprosthotoni, modo opisthotoni prægressum, cum mira oris & narium distorsione, convellebatur. Nullus funambulorum coram turba hominum festivum adeo exhibuit spectaculum unquam. Tanta enim celeritate membra juvenis distorqueri visa sunt, ut fulminis instar Convulsio totum corpus percelleret. Quamprimum tertia vice Convulsio, membra opposita reciproce afficiens simul, cessaret, in ejus locum successit tremor vehemens totius corporis, adeoque omnium membrorum, nec non in partibus quibusdam spasmi particulares tragœdiam finiebant. Maxime vero spasmus oris cynicus durabat per aliquot dies, isque adeo vehemens, ut caro musculorum, maxillam inferiorem ad superiorem adducentium, insigni duritie corrugata esset. Hoc die, IX. nempe, alvus erat aperta, sedimentum in urina, sed sudor nullus. Caput vero nuper tinea laborans sic-

cum erat, sed spirabat tamen foetorem insignem. Vesicatoria applicata ad juvandam excretionem noxii ab exanthematum retropulsione nati, madida erant. Die X. post somnum placidum aliquoties Convulsionibus vagis correptus fuit, & deinde toto corpore rigidus atque contractus spasmo dirissimo jacuit. Venter simul tumidus atque durus, licet alvus eodem die tribus vicibus aperta. Eodem modo, die sequente XI. nempe, omnia fere hefternis symptomatibus similia, spasmi decussatim afficiebant artus, lipothymia, oedema pedum exiguum, pedes retracti & genua ad ventrem usque reflexa, abdomen tympaniae in modum tumidum, urina citrina, augebant nunc symptomatum fyрма. Die XII. nova rerum facies. Oedema nempe vagum occupabat nunc manum utramque, faciei pallor accedebat insignis, lipothymia summa semianimem vexabat. Genua vehementi convulsione & cum fracturae metu versus se invicem celerrime movebantur, deinde vero sequebatur subitanea crurum extensio violenta, mox vero rotatio nec non retractio versus abdomen spastica. Paroxysmo finito evigilabat aegrotus cum rhoncho & pavore insigni. Scroti color erat lividus, & pessima hodie indicia, alvus tribus vicibus aperta. Die XIII. mirifice refocillatus aegrotus iterum dejecit alvum tribus vicibus, sed hora undecima antemeridiana rediit genuum Convulsio cum collisione satis valida, deinde novum accessit symptoma. Pedibus namque inflexis atque convulsis celerrima gesticatione utrumque simul movebat, rotae instar currentis; deinde pedibus calci-

trabat fortiter, & paulo post tollebat alte. Mox toto corpore convulsus, venter ejus affiliens mirifice, spafmo satis valido in exiguum volumen contractus erat. Convulfio vaga deinde brachia contorquens, cum stridore dentium, vera catalepsi & fomno profundiori subsequente, augebat symptomatum numerum. Iterum evigilabat ex fomno cum rhoncho & pavore insigni. Alvus aperta, faeces molles & copiosæ. Versus noctem fomnus placidus. Scrotum adhuc lividum. Sed venter nunc planus & neutiquam durus apparebat. Per noctem fere integram iterum spafmo laborabat, & alvus iterum bis aperta. Ex his symptomatibus, me non monente etiam, apparet, mali sedem præcipue in infimo ventre quærendam esse. Ergo accepit ægrotus Laxantia & Solutionem Extractorum cum Tartaro tartarifato. Die XIV. horrore fuit correptus, quem sequebatur calor insignis atque metastasis ad aures & oculos. Erat enim surdus, oculi erant tumidi atque clausi, ut lucem non sentire possent; quæ quidem symptomata indicant, metastasin ad nervos & cellulofam tunicam supervenisse. Sed erat etiam spes, fore, ut febris spasmos & Convulfiones solveret. Die XV. horis matutinis iterum quatuor paroxysmos passus est, hora vero undecima primo incepit brachium movere, deinde utroque simul lectum contundere, ac post hæc decussatim Convulsionem iterum expertus est. Tandem simili ratione ac antea brachiis, nunc pedibus, mox unico, mox utroque lectum concutiens, sibi non erat conscius. Triste spectaculum erat omnino,

cum nunc valida Convulsio incurvaret corpus, & ventrem inprimis ac caput deinde vehementi ac celeri motu, non sine contusionum metu, versus læctum fortiter raperet. Valida hæc concussio aliam partem post aliam corripuit, deinde vero sequebatur opisthotonus, nec non epilepsiæ saltatoriæ species, cum mira corporis in globum quasi convolutione & in gyrum rotatione. Tentanda hic erat symptomatum mitigatio, atque exhibita integra drachma Camphoræ pro dosi, & Clysma injectum ex Assa foetida, quæ effecerunt, ut confestim cessarent spasmi, & ægrotus nunc jaceret quietus. Sequebatur copiosus sudor, & caput, nuper tinea laborans, nunc vero siccum, foetorem spargebat insignem, ut spes multa esset salutis. Die XVI. nullam expertus est Convulsionem, fumisitque iterum Camphoram in aceto solutam. Apparebant nunc in cute exanthemata, Purpura nempe rubra, quæ malum lenire quidem visa sunt, sed nimis cito evanuit iterum Purpura una cum spe salutis. Eadem enim nocte Convulsio membra decussatim quatiens observata fuit, simulque volutabat Convulsio totum corpus. Idem paroxysmus excruciat ægrotum die XVII. hora undecima meridiana, quem sopire tentavit Medicus Clysmate ex Camphora & Assa foetida. Quievit quidem Convulsio, sed hanc excepit ventris spasmus & contractio insignis, & nocte sequente rediit quatuor vicibus Convulsio cum opisthotano insignis; quod etiam factum est die XVIII. post meridiem. Nullum tandem defuit symptoma ex omnibus, quæ a b. HOFFMANNO descripta sunt §. 8.

Diff. de *Motuum convulsivorum vera Sede & Indole.*
 Sic etiam nocturno tempore diei XIX. quater, &
 nocte diei XX. ad horam undecimam matutinam
 septies Convulsio corripuit ægrotum. Solutio ex
 Assa foetida & Galbano, & Clyfma ex Camphora &
 Assa foetida compescuerunt Convulsiones, non vero
 spasnum totius corporis. Hac die caput, exsicca-
 tum nuper, iterum foetorem spargere & humescere
 incepit, simulque pruritus in toto corpore effecit,
 ut sibi temperare non possset ægrotus, quin frequen-
 ter unguibus cutim scalperet. Die XXI. quietus
 jacuit ægrotus, apparuit quoque sudor, nec minus
 die XXII. nox quieta fuit. Sed die XXIII. iterum
 tremere incepit & spasnis laboravit. Iterum accepit
 Clyfma ex Camphora. Nocte sequente semel
 convulsus; die vero XXIV. tranquillus jacuit. Cum
 vitium non solum in primis viis hæere videretur,
 sed lymphæ quoque impura tanquam morbi causa
 consideranda veniret, non dubitavit Medicus, De-
 coctum ex rasura ligni Sassafras & Antimonio cru-
 do paratum præscribere. Nox, quæ sequebatur,
 valde inquieta fuit. Nam lusit iterum ægrotus tra-
 gœdiam, & omnes motus convulsivi singula mem-
 bra pererrabant. Horis deinde antemeridianis diei
 XXV. quatuor paroxysmi adfuerunt, post meridiem
 quoque novus accessit, isque admodum vehemens;
 convellebatur nempe miser, distorta fuerunt mem-
 bra, & movebantur citra voluntatem, & in altum
 subleiebatur truncus corporis convulsus. Eadem tra-
 gœdia fuit observata die XXVI., quo nempe omnes
 Convulsionum species adfuerunt. Die XXVII. om-

nium Convulsionum maxime vehemens adfuit; spina nempe dorfi antrorsum incurvata, & muscoli dorfi, nec non sic dicti glutæi rigidi, & congelatio inde summa & immobilitas corporis. Sumisit potionem emeticam ex Tartaro emetico, Oxymelle squillitico & aqua Melissæ. Evacuata fuit insignis copia materiæ glutinosæ, picæ, valde foetentis, cum notabili euphoria ægroti & symptomatum remissione. Die nempe Martii I. loco Convulsionum & spasmodorum adfuit tantummodo tremor membrorum. Quare, cum exacerbatio symptomatum unice visa sit quærenda in colluvie succorum impurorum, in intestinis collectorum, continuandum esse medicamentorum evacuantium usum decrevit Medicus, atque eum in finem exhibuit Potionem ex Infuso pulveris radice Ipecacuanhæ, cum insigni portione Cremoris Tartari & Oxymellis squillitici mixto. Cochleatim accepit hanc potionem ægrotus repetitis vicibus, & omnino melius sese habere cœpit. Loco enim Convulsionum univrsalium diebus sequentibus vexatus fuit tantummodo spasmodis & Convulsionibus particularibus, modo palpebrarum, linguæ, modo aliarum partium. Rarissime dein fuit correptus Convulsionibus, & si aliquando per paroxysmos vexarent ægrotum, quod mense Majo, Junio & Julio accidit, vix tanta fuit illarum vehementia, quam fuit olim. Alius die V. Martii simul in auxilium vocatus Medicus credidit, morbum fore longum, & ab usu Ptisanæ ex Radicibus aperientibus & Scoe lignorum Guaiaci atque simi-
lium

lium multa sibi promisit. Quare ex communi suffragio Medicorum bibere cepit ægrotus Ptifanam modo dictam, cujus quotidie libras duas hausit, illudque Potionis genus per tres menses ingurgitavit. Nulla fere interposita sunt alia remedia, sed simplicissima medicina semper continuata. Ab initio quidem nulla fere mutatio fuit observata, sed post aliquot septimanas melius sese habere cepit, & initio mensis Augusti convaluit prorsus, ita ut infirmitatem prægressam consequeretur athletica corporis constitutio perfecta que adeo sanitas. Tot tantisque nempe spasmodicis atque convulsionibus distractus ægrotus ille, circa finem morbi ab omni obstructione in toto corpore liberatus, hinc elongatis fibris & distentis vasis, nec non auctis secretionibus fluidorum celerrimum expertus est corporis incrementum, adeo ut statura ejus nunc magis procera esset, simulque habitus corporis obesus, qui nuper potius gracilis erat, quam plenus. Simile incrementum subitaneum corporis experiuntur non solum ii, qui Convulsionem sustinuerunt; sed & iis accidit nonnunquam, (quod neminem fugere arbitror,) qui febre quartana laboraverunt. Ægrotus vero noster ad hunc diem usque perfecta fruitur sanitate.

En B. L. morbi Historiam, quam rarioribus accensendam esse nemo negabit; mei nunc interest, ut qualiacunque ei subjungam cogitata, cui officio ut satagerem, e re mea visum est, Convulsionum doctrinam ex optimis Scriptoribus excerptam breviter enarrare, ac deinde ex genuinis Artis præceptis, quantum nempe fieri potest, historiam illam Con-

vulsionum, quam publicam facio, dilucidare. Ex duabus itaque partibus sermo constabit meus omnis. Primam lubet vocare *Theoreticam*, alteram vero *Præcticam*. Hæc igitur æquo accipe animo, atque juvenili calamo indulge; cum instante symptomatum farragine omnia exhaurire nec limites Dissertationis, nec instituti ratio permiserint.

Pars theoretica.

§. I.

Horrendum fane valetudinis genus est, quod morbi nostri historiam exhibet, spasmus scilicet atque convulsio; ut omnino Veteres dubitarent, mira ejus phænomena ex natura œconomiae animalis repetere, sed potius Superos & Dæmones tanquam autores hujus mali accusarent. Hæc quoque Veterum opinio effecit, ut primariam omnium Convulsionum, Epilepsiam nempe, vocarent *Morbum sacrum*. “Nulla quippe, inquit BOERHAAVIUS, “gesticulatio, inflexio, posituraque noscitur, quam non aliquando exhibuerit, omnes quoque nonnunquam æmulantur motus, cursus, ambulationis, gyrationis, prostrationis, decubitus, erecti rigidique corporis species a). Et mira est omnino vicissitudo motuum subito sese excipientium, qui tanta celeritate, fulminis instar, omnia percurrunt membra, ut nulla interdum pars intacta remaneat, sed omnes, alia post aliam, mi-

a) Aph. 1073.

ri illius consensus, quo corpus regitur lege, Convulsionem eandem patiantur. Sed præter insignem celeritatem, qua membra convulsa moventur, & quæ omnem fidem longe superarent, nisi experientia eam confirmaret, attendi quoque meretur insignè illud robur, quod muscoli exercent, quodque tantum est sape, ut omni adhibita vi membra nequeant flecti *b*), & non raro ibidem fuerit observata ossium fractura, quæ licet diversissima sit, corpora tamen cedunt aliquando viribus musculorum convulsis *c*). Nec tenerrimi muscoli, quorum moles est exigua, excludendi sunt ab ea lege, etenim & hi convulsi fortiter sese contrahunt, summamque vim exercere solent.

§. II.

Spasmus atque Convulsio itaque præternaturalem sane musculorum ponunt affectionem, qua invite, morbose, fortius, quam eorum natura fert, atque adeo violenter ad sui principium contrahuntur *d*). Quod si alternis fiat vicibus, *Convulsionis* nomine morbus venit, si indefinenter, *Spasmus* appellant Medici. Unum itaque idemque valetudinis genus nec indole, nec natura, nec causa differt. Musculorum autem secundum functionum genera triplex quoque genus est; hi enim voluntariis, ii vitalibus, isti naturalibus hominis actionibus ministran-

b) v. hujus rei exemplum in *Journal de Med.* T. XIV. mens. Jun. 1761.

c) Fractum femoris os vehementi ejus membri extensione exhibet idem *Diarium* Tom. XI. mens. Oct. 1759.

d) Conspirat cum nostra definitione ea, quam Cl. OOSTERDYCK-SCHACHT habet *Instit. Med. pract.* Sect. II. Lib. I. C. VI. §. I.

tur. An igitur, ubi in spasmo citra voluntatem moveri musculos diximus, posterius utrumque genus ab isto morbo immune declarandum? Cave credas; etenim omni parti musculosa cum competat naturalis contractio, & morbosa certe in eam cadere poterit, talisque sane erit, ubi modum excedit contractio. Ast intelligunt tamen fere Medicarum rerum Scriptores sub Spasmodum Convulsionumque titulo excedentes, atque invitos artuum truncique motus, atque volutiones, quas cum vehementissimis subinde doloribus esse conjunctas, eximius testatur LOMMIUS *e*) aliique. An igitur Convulsionis causa in sublato antagonismi æquilibrio, ut Cl. OOSTERDYCKSCHACHT *f*) multique cum eo Medici? Refellit elegantem alias conjecturam musculorum, quibus nullus antagonista est contractio convulsiva; nec admittet eam sententiam, quicunque vanam de antagonismo hypothesin animo perpendit, cum mechanicas regulas longe superet musculorum vis: an immoderatus nervei fluidi influxus Convulsionum primaria causa est? In dubio relinquo, usque dum fistularum existentia omnium ad sensum mereatur. An potius sive excedens stimulus, sive musculorum irritabilitas Convulsionum primam rationem in se habent *g*)? Probabile est, atque extra dubium fere ponitur, cum propria omnino atque a natura indita sit musculis ad contrahendum aptitudo, cui nihil confert anima, quæque in excessu facile peccat. Sed de his postea amplius.

e) *Observ. Med.* Lib. II. d. *f*) *loc. cit.*

g) Irritabilitatem volo Ill. GAUBII *Instit. patbol.* §. 190.

§. III.

Ut autem altius descendamus, atque Convulsionum naturam exactius rimemur, præmittenda sunt pauca de natura atque indole fibræ muscularis vivæ, qualem ostendunt phænomena atque experimenta. Inest scilicet solidis nostris quibuscunque vitale robur, idque plerisque in partibus tanto gradu infidet, ut admoto stimulo protinus sese contrahant, crispant *b)*; eamque vim summam possident muscoli, ex III. HALLERI experimentis *i)* quam irritabilitatem vocavit Vir Summus. Dum autem fibræ & muscoli, qui sunt compages fibrarum muscularium, quas contextus cellulofus, isque copiosus necit, agunt, sive, quod idem est, sese contrahunt fibrarum extremitates, si longitudinem nimirum spectes, ad se invicem magis accedunt; hinc omnis musculus eo ipso temporis momento, quò sese contrahit, intumescit, venter ejus majorem acquirit duritiem ac riget simul. Tendines itaque vel aponeuroses muscoli tenduntur secundum directionem ejus, & hac ratione, non alia, moventur artus, membra, & quidquid a musculis moveri potest unquam. Ea igitur vis musculis & fibrillarum propria est, omnemque musculi naturam absolvit, communi hodie Medicorum consensu. Transeo quidem ad eas, quæ de causa irritabilitatis notæ sunt, lites inanes atque meo instituto longe alienæ. Propius meum propositum spectat, monuisse, hanc

C 3

b) vid. III. GAUBIUS *ibid.* §. 170. *i)* vid. Ejus *Mem. sur les Part. Sens. & Hist. du Corps H. & Pr. Lin. Physiol.* §. CCCC.

vim musculi posse augeri minuique a variis causis, quæ suo loco dicendæ sunt, nec ullum fore Medicorum puto, qui non agnoscat mirabilem istam musculorum virtutem, quique nobiscum non consentiat, primam motus in corde causam ab insita ea virtute nasci, qua indefinenter agitatur, dum vitalis calor in eo remanet. Omnis igitur spasmus, adeoque & Convulsio conditiones ponit, quæ a sanitate deflectunt, eamve tollunt, quum motuum æquabilis tenor sub ea affectione durare nequeat, easque conditiones in augmento earum causarum consistere oportet, quæ motus secundum naturam cedere solent.

Hæc vero musculi actio naturalis, sive quod idem est, contractio, triplici modo augetur. Modo enim stimulus est naturalis; irritabilitas vero fibras præter naturam tenet, vel vis vitalis modum quidem non excedit, aut stimulus externus est vehemens admodum, vel denique irritabilitas peccat, & stimulus admovetur quoque fortis. De his itaque seorsim & ex ordine dicendum erit. Sed ne Dissertatio mea in molem immensam crescat, de singulis nonnisi præcipua, & quæ ad institutum meum pertinent, afferam. Vis vitalis quidem excessum non facile dijudicaveris, quin notam habeas mensuram motuum, qui naturaliter in corpore ejus parte surgere solent, ubi stimulus admovetur. Differt scilicet in singulis hominibus vitalis virtus, recte momente Ill. GAUBIO *k*), ratione sexus, ætatis, temperamenti, vitæ generis, consuetudinis idiosyncra-

k) *Instit. Patb.* §. 176.

fræ; sic mulier prægnans vel puerpera solito irritabilior esse solet. Ut facile sentias calculo mathematico definiri vis vitalis in singulis hominibus gradus neutiquam posse. Est enim in singulis individuis latitudo quædam sanitatem inter & morbum. Eam itaque irritabilitatem corporis cum GAUBIO ^{l)} nimiam dico, quæ tanta est, ut vel levi stimulo in motus erumpat enormes, quibus æquabilis functionum tenor perturbatur.

§. V.

Docet vero experientia, optima nimirum rerum magistra, in iis hominibus, in quibus eminent irritabilitas, adesse plerumque teneriorem partium fabricam, strictam fibrarum tensionem, quam comitatur mobilior elater ^{m)}. Sensuum magna agilitas, circuitus humorum vividior, nonnunquam humorum acrimonia cum tenuitate quadam, has conditiones augent, a quibus consistit, irritabilitatem augeri. Est & sæpe hæc irritabilitas congenita, & iis inprimis familiaris, quibus ex meliori luto præcordia finxit Titan; vix unquam enim stupidi sunt irritabiles. Ætas tenerior, sexus muliebris, clima magis calidum, victus mollis, diæta lauta, mollieties vitæ morumque, nimia corporis cura, abusus calidi potus & sexcenta alia disponunt ad irritabilitatem, eamque augent atque nimiam præsentem fovent. Delicata juvenus & omnes ii, qui vel molliter vivunt, vel Venere nimia, studiis literarum

l) *ibid.*, §. 190.

m) *ibid.*, §. 194.

aliaque ratione vires atque robur exhauriunt corporis, & inde fiunt debiles, frequenter sibi contrahunt irritabilitatem nimiam, atque sic in morbos varii generis incidunt. Non solum enim dispositionem ad spasmos & Convulsiones a leviore concursu causæ externæ, vel occasionalis excitandas inducit irritabilitas, sed dolores, anxietates, contractiones cavitatum, obstructions, febres, se- & excretionum turbas omnino effectibus nimix irritabilitatis adnumeramus. Præterea vero & consensus quoque habenda est ratio ad explicanda phænomena in diversis hominibus adeoque sæpe diversa. Contraria contractiorum est ratio. Torpor scilicet sive imminuta irritabilitas, morbus est irritabilitati e diametro oppositus, ponitque imminutam stimuli perceptionem, atque ita parcam ad stimulo seu irritatione contractionis impatientiam, ut neququam sufficiat, motibus, quos œconomia postulat, excitandis. Torpor observatur in iis, qui magis torosi, robusti, in quibus rudior contextus fibrarum, majorque crassities & moles ægrius mobilis, ubi rigiditas partium, durities illarum, fibra inflexibilis, ex terræ elementaris abundantia n). Nonnunquam torporis causa est laxitas quædam ex colluvie aquosa, mucosa, pingui, fibræ debilitas, physica, lentus humorum circuitus, sensuum tarditas & caloris defectus. Licet & in his aliqua exceptio ponenda sit, cum virtutis vitalis fontes nobis detecti non sint. Quamvis enim Ill. HALLERO o) probabile visum

n) *ibid.* §. 198.

o) *loc. cit.* not. i.

sum sit, in glutine quærere sedem mirabilis hujus corporis humani qualitatis; quamvis Ill. GAUBIO *p*) subtile quoddam fluidum placeat, quod vis vitalis principium in se habeat, videtur tamen ejus prima causa ita nobis esse abscondita, ut de invenienda ista desperandum sit; nec certe est quod doleamus, cum nihil ea ad salutem ægrotorum conferre possit.

§. VI.

Enumeravi eas condiciones, quibus præsentibus magna adesse solet irritabilitas, ejusque gradus, si modum nempe excedit, ideam morbidi status absolvit, quem ex functionum læsione facile cognoscimus. Jam vero dicendum est de stimulis internis potissimum, quibus ad ciendos motus adigi solet natura; stimulum scilicet dant sanguis, serum, semen, bilis, saliva, humor omnis viscidus, blandus & tenax quoque, acre, cibus, status, animi affectus, calor, frigus, motus corporis, frictio & plura alia exstimulant omnem fibram animale. Irritamentum ad vitæ & sanitatis conservationem summe necessarium est, nec sine stimulo, quem vocant naturalem, vivere potest homo, qui si modum non excedat, vitam sanitatemque conservat. Stimulat vasorum repletio, exinanitio quoque idem præstat. Stimulo propelluntur humores, elaborantur succi; stimulo perficitur digestio, secretio, excretio, & stimulus vox naturæ est, cujus nutu sitiunt, esuriunt homines, de sobolis propagatione

D

p) *Institut. pathol.* §. 187.

admonentur, ac nisi stimulum dedisset sapientissimus rerum Artifex, nemo evigilaret. Stimuli defectus torpor, cessatio ejus mors est. Tot & tanta sunt commoda, quibus Deus, stimuli Autor, fatis humanis clementissime prospexit; stimulus est quoque vera eaque præcipua causa criticæ in morbis coctionis, & crisis ipsa nonne stimuli est effectus? Quæ stimulo deficiente medicamentorum vis & actio? Tota vita, quanta est, in stimulo consistit, & virtute vitali, ex quorum concursu hæc omnia fieri, quæ modo dixi, vel me non monente, patet. Stimulus futuri hominis vitam excitat, corculumque salire facit. Quare cum tanta stimuli dignitas & efficacia, nec plantis denegavit omnem irritabilitatem summus rerum Arbiter, sed potius effecit, ut plantæ irritabiles sentiant stimulum aëris, caloris, frigoris.

§. VII.

Spasmodorum & Convulsionum causæ sunt vel stimulus naturalis, vel præter naturam auctus, vel stimulus ille alienus est, viribus & naturæ corporis minime conveniens. Stimulos, quos cum aliis naturales dixi, maximam partem jamjam recensui, adeoque de his dicta jam sufficiant; quod vero irritamentum attinet speciatim, alienum & fibras musculorum adeo irritans, ut Convulsio inde oriatur, sive violenta, invita, musculi contractio, causas fere innumerabiles, observatio docuit, quæ irrita-

tionem iusto nimiam excitare solent, quas quidem omnes hic recensere nimis prolixum esset, præsertim cum ea, quæ omitto, ex legibus cognitæ facile dijudicari possint. Irritant vero omnes hæ causæ contactu immediato, fibras musculorum vellicant vel dolore in nervis excitato, ita ut irritatio lege consensus propagetur, quod vel Ill. HALLERUS q) ipse concedit, quamquam totus in eo sit, ut argumentis demonstrat, irritabilitatem oriri a vi musculi insita; concedit enim simul, a nervis irritatis convelli musculos, tanquam a vi, quæ forinsecus adveniat. Ex dolore itaque frequentes spasmi ac Convulsiones cientur. Dolor itaque est causa Convulsionum a contusione valida, nonnunquam ab unguibus resectis, dentitione, odontalgia, nervo puncto, partu difficili, ambustione, inflammatione, sæpius vero spasmus & Convulsio doloris expers est, si nimirum stimulus ille immediate vellicat fibras musculorum, quod contactu directo fit ab acri, viscido, tensione, repletione, exinanitione. Ad irritationem, quæ ab acri excitatur, sine dubio pertinent purgantia, vomitoria, sternutatoria, miasmata variolarum, miliariumque, scarlatinæ febris, dysenterix, venena varia, vaporosa, scabies & quævis exanthemata retropressa, ulcera, perversa medela exsiccata, hydrophobix venenum, & metastases omnis generis ad nervos & innumera alia. Tendunt & tensione stimulant fractura ossium, pletho-

D 2

q) *Element. Physiol.* Tom. IV. p. 467.

ra, rarefactio, vulnera, partus difficilis, operatio chirurgica, quæ cultro, forcipe peragitur, alvi obstructio a facibus induratis, flatuum retentio, hæmorrhagarum obstructio, colluvies humorum & extravasatio, exostosis, spina ventosa, morsus animalium, urina retenta, uterus gravidus, luxatio, compressio, tumor. Augent numerum causarum stimuli, vermes, caries, animi affectus, terror imprimis & ira, meconium retentum, exinanitio vasorum, venæsectio atque excretio quævis nimia, alvi purgatio, diarrhoea, febris maligna, exanthematum eruptio, medicamenta & esculenta varia viscida. Quem fugit enim, ab Helleboro, Cicutâ, Arsenico produci Convulsiones, & Auctorum testimoniis confirmantur Convulsiones ab esu cerealium, coturnicum, a comestis mytulis, fungis. Satis hæc sint, ne prolixiori sermone molestus fiam; mitto reliquas Convulsionum ac spasmodorum causas.

§. VIII.

Ubi partem spasmus tenet, animadvertitur in ea præcipue immobilitas cum rigiditate quadam & distractione varia. Convulsiones artus & membra mirifice distorquent, movent, & omnes motus species effingunt, gesticulationem, cursum, saltationis, quam Sti. Viti Choream appellant, speciem. Hoc igitur solo respectu differt a Convulsione spasmodica. Enumeranda quidem hic essent, quæ Auctores de spasmodorum diversis speciebus, Convulsionum variis generibus habent, quas in *universales & parti-*

culares distinguunt. Ast liceat ad Libros Practicorum remittere eos, quibus hæc repetere lubet, cum minus ea quadrent ad institutum nostrum, atque ex generali nostri affectus doctrina facile dijudicari queant. Paucis itaque absolvere nunc oportet verbis enumerationem effectuum spasmodorum ac Convulsionum, quibus adnumerandi veniunt constrictionis cutis, quæ quandoque a consensu cum intestinis derivanda est, vasorum obstructio, dolor, inflammatio, torpor, excretionum aliquando retentio, quandoque vero expulsio eorum, quæ vel excernenda non sunt, vel interdum critice ejiciuntur, hinc vomitus, diarrhœa, similiaque. Non semper vero spasmodorum & Convulsionum effectus sunt noxii, sed e contrario amissam diu sanitatem restituunt, & salutares inde in œconomia redundant effectus. Sæpius jamjam in Auctoribus memorata legitur spasmus atque Convulsionis salubritas r). Concussio enim Convulsionum valida, centies & sæpius repetita, obstructiones solvit; hinc morbis chronicis ab obstructione natis medetur omnino Convulsio, quæ modum non excedit. Non timet Celeb. OOSTERDYCKSCHACHT s) Convulsiones, quæ contingunt, cum variolæ erumpunt; tristem vero præfigit eventum, si ex metastasi ad nervos oriuntur. Paralyfin inducit chronica Convulsio, nec non stuporem, nimium nempe distendendo partes solidas, aut nimium commovendo systema nervorum.

D 3


r) cf. B. SCHULZII Diss. de Spasmo dolorifico, Sæpius remedio, quam morbo. Halæ 1740.

s) Inst. Med. Pract. Sect. I, Libr. I, Cap. XIII,

§. IX.

Paucis addam ea, quæ docent, qua ratione in universum spasms & Convulsionibus medendum sit. Quum morbos sanare nihil sit aliud, quam causas morborum tollere, antispasmodica omnia erunt ea, quæ spasmodorum remouent causas. Cum autem a causis sibi sæpe contrariis spasmos oriri dictum sit, Medicina spasmodorum causis accommodata sibi sæpe contraria esse debet. Interdum itaque sunt eligenda Evacuantia, quandoque vero quæ succis replent corpus, adhibenda sunt. Emollientia, roborantia, diluentia, antidota venenorum & miasmatum, temperantia & ejus generis alia, ex therapia generali petenda. Omnia vero Antispasmodica vel minuere debent irritabilitatem nimiam fibrarum muscularium, vel remove stimuli, qui forinsecus admotus convellit. Vix dantur Specifica, & pauca merentur remedia Specifici antispasmodici nomen. Sunt tamen, quæ nervorum nimie sensibilitati illico medentur, & hac ratione spasmos leniunt, & his Camphora, Moschus aliaque Pharmaca a ROBERTO WHYTT aliisque merito laudantur. Quid dicam de Cortice Peruviano, Valeriana sylvestri, Gummatibus ferulaceis, quæ toties confirmarunt vim, qua gaudent contra hunc affectum medicatam. Vesicantia, Setacea, Fonticuli mirifice profunt, in ea nempe Convulsionum specie, quæ ex colluvie ferosa & acrimonia viscido immerfa, vel quæ ex meta-

Itaſi ad nervos imperfecta criſi oritur. Sed & interdum plus docta valet arte immedicabile malum.



Pars practica.

§. X.

Qui attento rimatur animo morbi hiftoriam, quam retuli ſupra, facile perſpiciet, fuiſſe Convulſionem univerſalem cum ſpaſmis vagis. Interdum enim tetani, mox vero emproſthotoni, dein opiſthotoni, nonnunquam denique epilepſiæ faltatoriæ ſpeciem induebat, quam & Sti. Viti Choream appellare ſolent, cum ſpaſmis particularibus aliſque diris ſymptomatibus, quorum exempla non ita ſæpe occurrunt. Ex ſpaſmis autem particularibus, quibus correptus fuit ægrotus noſter, notabilis eſt præcipue ſpaſmus ille vehemens maxillæ inferioris, mufculorum dorſi, ventris, artuum, brachii & cruris, modo unius, modo alterius, colli ſpaſmus cum gulæ conſtrictione & deglutiendi aliquando ſumma difficultate; interdum palpebræ unius oculi erant clauſæ; alio tempore dimidia facies ſpaſmo laborabat, & poſtea quoque pedibus verſus nates retractis immobilis jacebat ægrotus. Sequebatur iterum violenta corporis & trunci Convulſio, jactatio violenta, proſtratio, incurvatio & ſexcenta alia mala, quæ ſymptomata tam ſubito ſeſe excipiebant, ut viſis his miris ſymptomatibus ſtupeſcerent. Quis



vero negabit, affectum Prothæi adinstar tam innumeras species induentem rarioribus historiis morborum adnumerandam esse ?

§. XL.

Speciatim vero symptoma rarissimum attendendum est, Convulsio illa scilicet, quæ alternis & tribus repetitis vicibus membra decussatim convellere visa est; brachii nempe unius & pedis alterius lateris simul. Inauditum symptoma, cujus rationem quis quærere sibi fumeret? Fallor, ni inextricabilem ingrederetur labyrinthum, ex quo vix ac ne vix quidem ei sese liberare contingeret.

Innotuerunt quidem mihi ex aliorum relationibus morborum historiæ, ubi miris Convulsionum speciebus exagitatam fuit ægrotorum corpus hominum. Legi & relegi aliorum Observationes, quæ in variis Libris & Libellis academicis occurrunt de Spasmodicis vagis, Epilepsia saltatoria, Chorea sic dicta Viti Sancti; sed dubito vehementer, cum illis motibus omnibus comparari Phænomenon posse, quod in ægroto nostro fuit observatum. Paralyfin quod attinet, de ea quidem constat, illam decussatim nonnunquam afficere ægrotos, idque inprimis fieri solet in dysenteria post apoplexiam prægressam, ubi nempe interdum brachium lateris dextri & pes sinister, ac vice versa, reliquæ partes Paralyfi corripiuntur. Hujus rei exempla non adeo rara sunt, atque memorabilem hujus generis observationem publi-

publicam fecit, Vir meritis in Botanica & Medicina conspicuis, CONR. FABRICIUS *u*). Verosimillima quidem hic locorum hypothesis est quorundam, quæ statuit nervorum decussationem, & origines nervorum lateris unius ex hæmisphærio cerebri lateris alterius derivat. Plurima jam habentur Observata medica & Experimenta a summis Viris Artis salutaris instituta, quæ hanc hypothesein confirmant. vid. VAN SWIETEN *x*). Hanc quoque nuper Vir magni nominis HALLERUS in Opere immortali *y*) probalem edixit, atque Cl. MANGOLDUS Experimentis physiologico-pathologicis *z*) decussationem nervorum & fluidi nervei naturam illustrantibus, quoque novis Experimentis certiore reddidit. Sed hæc fere sunt, quæ de his symptomatibus dici possunt. Quis vero mihi explicabit stimuli modum, quo nempe effectum est, ut non nisi pes unius & brachium alterius lateris simul convulsi celerrime moverentur? Aliis hæc dijudicanda relinquo, nec sollicitum me tenet, qua ratione extricare se velint tantis tenebris circumfusi.

§. XII.

Circa causas hujus morbi dirissimi sollicitus me persuasum habeo, inter illas principem tenere locum, tineam capitis retropulsam, cui successit infar-

E

u) in Dissert. de *Paralyfi Brachii unius & Pedis &c. dyseutericis familiari*. Helmst. 1759.

x) Comment. in BOERH. §. 276. p. 456. & 457.

y) *Elem. Physiol.*

z) in Dissert. quæ recusa est in *Opusc. Med.* pag. 287.

ctus glandularum omnium, & præcipue mesenterii. Nam adfuit olim tinea, glandulas induratas invenit Medicus, ventrem aliquo modo tumidum & non satis mollem. Hoc enim sufficeret, ad morbum producendum & fovendum. Accedit vero pueri voracitas insignis, borborygmi ventris, aliaque signa, ex quibus tuto concludo, collectionem impuritatum in prima digestionis officina, & glutinosum ibi hærens, auxille numerum causarum. Ceterum postquam fere restitutus fuerat jamjam puer, accepit Medicus, ingurgitasse olim ægrotum magnam copiam Spiritus Vini, idque furtim, eumque cibo farinaceo glutinoso usum fuisse. Evomuit aliquando, ut supra memoravi, largam copiam glutinosi, & hoc cum euphoria. Quare dubitandum non est, exacerbationem Convulsionum ab ea causa esse deducendam. Quis enim ignorat, Convulsiones interdum & unice a colluvie succorum impurorum, glutinosorum, in primis viis hærente, oriri. Vermes accusarem quoque, sed vix unus aut alter lumbricus longus, teres, excretus fuit, idque forte Asfa foetida, Camphora aliaque medicamenta, veribus adversa, tantaque copia exhibita effecerunt, nec postea verminosa colluvies observata fuit.

§. XIII.

Dicam nunc candidè, quid de prognosi formanda, quidque circa curandi rationem ex mea sententia statuendum fuerit. Est axioma in semioticis, ne horrendam quidem Convulsionem esse metuen-

dam, modo symptomata fit a), & aliqua adhuc superfit spes, posse removeri ejus causam. De omnibus ac singulis Convulsionum generibus, ex metastasi ortis, id quidem non esse verum, æquus Lector vel ipse judicabit. Fas nimirum intelligo Convulsiones symptomatas, quæ vel a vermibus, vel a cohibitis menstruis, sæpe etiam, quæ a metastasi leviori originem trahunt. Quo autem trahendæ non sunt, quæ a graviore metastasi oriuntur: multo minus quando occupat viscera nobiliora. Sed glandularum obstructio morbum quidem fovet longum, raro autem necat. Hinc iis in casibus, de quibus dixi, magna semper habenda spes est, morbum non fore insanabilem. Longe alia vero est ratio, si Convulsio, etiam levior, sit idiopathica, vel inveterata jamjam. Periclitari quidem ægrotum visum est aliquando, eo nempe tempore, cum morbidum illud, glandulas obstruens resolutum esset ex parte, & in motu constitutum. Tunc enim metuendum erat omnino, fore, ne paralyseos in modum resolutio musculorum, qui actionibus inserviunt, a metastasi oriunda vitam finiret. Sed hic metus cum esset inanis, cumque iterum sese colligeret ægrotus, spem certam concipere poterat Medicus, exitum morbi non fore lethalem. Convulsio enim artuum præter debilitatem vix noxios effectus relinquere solet.

§. XIV.

Cura vel causas respicit, vel symptomatum lenimen, quod illas attinet, Resolventia, Diluentia,

a) vid. Cl. OOSTERDYCKSCHACHT *Libr. & loc. cit.* §. 21.

Saponacea, Gummata, Succı herbarum, Serum Lactis, vel fortiora, Decocta lignorum, Antimonialia, Mercurialia, Sulphur Antimonii auratum, omnino indicantur. Glandulis enim obstructis medentur hæc medicamenta, quæ laudavimus. Resolvunt namque & viscidum reddunt mobile, illudque ex parte eliminant. Sed non negligenda esse Evacuantia existimo, ac inter ea commendanda veniunt ante omnia Emetica ex Ipecacuanha, Sulphure Antimonii aurato, quæ nempe evacuant ventriculi & duodeni quoque cruditates; sed quoque laudes merentur, propter concussionem viscerum mesenterii & glandularum, quam excitare solent. Subjungenda his sunt, me iudice, Laxantia, & multa speranda sunt ab usu Veficatoriorum, vel Fonticulorum, quæ scilicet revelendo & evacuando prodesse scimus. Victum suadeo Vegetabilem, mollem & diætam tenuem ac parum nutrientem. Frictio corporis simul adhibenda, & balneis abluendum corpus, quo repurgetur a fordibus, & perspiratio augeatur. Tandem ad usum Roborantium esset confugiendum, atque ex his, propter eximias virtutes, eligendus sine omni dubio Cortex Peruvianus, dosi non facile definienda; nam vix excessu peccatur. Vectio in rheda multum juvare posset curationem morbi. Symptomatibus obviam itur Clysteribus ex emollientium genere, vel iis, quibus usus est Medicus, ex Assa nempe foetida, vel Camphora, aliisque Pharmacis, quibus flatu dispelluntur, stimulus infringitur, & qui toties saluberimas vires probarunt. Sic itaque claudendo opusculum, cui Tua C.L. benevolentia aliquod pretium conciliabit.

F I N I S.

C O R R I G E N D A.

- Pag. 19. Lin. 9. loco diversissima sit, lege *durissima sint.*
 Pag. 21. fere in fine, loco fibrillorum, lege *fibrillis.*
 ibidem, inferius, deleatur *ad* ante eas.
 Pag. 22. in fine, loco ejus, lege *ejus quæ.*
 Pag. 24. in medio, loco ad, lege *a.*

ULB Halle

005 361 710

3



Vb 78





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
CONVULSIONIBUS
JUVENEM DECUSSATIM
DISTORQUENTIBUS




INO
IS MEDICÆ

TTA
A HONORES

TORALIA

DCCCLXX.
SQUISITIONI

O C H



I
Univerfitatis Typogr.

